LAI

IA.

I.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis
Com̄entatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

DECADIS II.

EXERCITATIO IV.

De

ORIGINE

ANIMÆ RATIONALIS

in homine

Posterior & destructoria.

Philosophica & Scholastica.

Ad disceptandum in Gymnasio Gedanensi proposita.

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Philos. Professore Publico

Respondentis vices obtinente

NICOLAO ARNOLDO Lesnensi Polono.

Ad diem 18. Martij S. N.

In Auditorio Philosophico

Horis ab 7. matutinis.

(o.)

Gedani. Typographo GEORGIO RHETIO ex-
scripta. ANNO 1637.

Miſcellaneorum
Decadis II. Exercitatio IV.
De Origine animæ rationalis.
Poſterior ſeu deſtructoria.
I.

IN *Eretrienſes jactum* Themiſtoclis *cavillum* Eraſmus in 5. Apophtegm: *memorat, quo ſimiles eos piſciculis eſſe dixit, quos gladiolos vocamus, qui gladio quidem inſtructi ſint: corde autem, quo gladium vibrare norint, deſtituantur. Ignaviam eorum notans, quòd arma habentibus animus ſtringendi illa in hoſtem deficiat. In litterarijs velitationibus non* arma *ſolum habere oportet, ſed & ſtringendi ea in hoſtem* animum. *Nec ſatis opere defungitur, qui propriæ tantùm ſententiæ firmandæ intentus agit: ſed & arma in hoſtem expedienda ſunt, & quid ipſius firmamenta ferant, perpendendum. Quippe non tantùm opus eſt, ut vera dicamus:* ſed & oportet, ut falſi cauſam explicemus, hoc enim ad fidem faciendam conducit, dicente Philoſopho l. 7. Ethic. c. 15. *Ergò cum propriam* de ortu animæ humanæ *ſententiam firmaverimus: arma ultrà jam in hoſtem ſunt promovenda, luſtranda diſſentientium caſtra, & quid hoſtilia tela ferant, expendendum ad juſtam bilancem fuerit. Id jam* ἀνασκευαστικῶς *aggredi cum Deo conabimur.*

2. *Priusquam id occupetur, firmanda eſt &* appendix noſtræ ſententiæ, *quam adjunximus* d. 3. t. 22. *fieri nempè propagationem animæ humanæ* per ſingularem Dei cooperationem,

onem, *quæ specialiter in hac infirmitate à nobis explicari nequeat.* *Eam sic firmamus.* 1. Ea, quæ *in corporeis rebus fiunt, & sensibilia sunt, difficulter cognoscimus, aut rationes eorum assignamus.* *Vid.* Sapien. 9. v. 16. 1. Cor. 13. v. 9. *E. multò magis spiritualia & quæ ad illa pertinent, difficulter cognoscemus.* 2. Formationem *ossium & corporis in utero quoad omnes modos speciales explicare non valemus, & res admiratione digna est.* Vid. Psal. 139. v. 14. 15. Eccles. 11. v. 5. *E. minùs formationem animæ humanæ distinctè explicabimus.* 3. Ventorum *originem specialem ignoramus, quos tamen sensibus sentimus.* Vid. Job. 38. v. 24. Eccles. 11. v. 5. Joh. 3. v. 8. *Magis spiritualium substantiarum.* 4. Formarum *materialium origo difficilis cognitu.* V. d. 2. t. 1. *Ergò magis immaterialium.* *Consentiunt* Philosophi, *qui generationem & formationem hominis & partium ejus admirandum opus fatentur.* Avicenna *opus super omnia mirabilia mirabile confessus est*, ap. Gerhard. d. ima. Dei. §. 123. Galenus *in libris de usu partium, hymnum Deo canere cogitur, ob mirabilem corporis humani structuram.* l. 3. c. 10. & l. 15. c. 1. *verba nostra conditoris sapientiâ longè inferiora esse ait, qui ne exponere quidem verbis possimus, quæ ipse nullo negotio condiderit.* Ibidem *fatetur*, nescire se, quomodo facta sint membra: vix inveniri, quod sint facta, *nisi dissecando edoceamur. Si quis scrutetur, quo pacto facta sint, convincatur nec suam imbecillitatem intelligere, nec opificis sui potentiam. Similia* c. 4. 5. 6. 7. *habet.* Basilius M. *rogat subtiliores Philosophos, ut unius formicæ, culicis, aut pulicis anatomen ritè instituant, apud* D. Tarnov: ex. Bibl. p. 879. *Scriptura emphaticis verbis illud describit, & Deo adscribit.* Job. 10. v. 8. 9. 10. *De quo* V. D. Gerhard. d. conju. §. 444. Vallesi. c. 45. d. sac.

Phil. Alstedius *hominis generationem admirandum opus vocat.* l. 2. Ency. p. 6.c.6.§.2. *Si tàm admirandum opus generatio hominis, nihil miri, si originem animæ & animationis in specie explicare nequeamus: sufficiat scire, quòd propagando oriatur.* *Ac cogitetur illud,* partem humanæ sapientiæ esse, quædam æquo animo ignorare velle, *ac sapientiam veram esse, nolle nimis sapere, dicente* Scalig.ex.274. *Et cum* Augustino *dicatur* l. 1. ep. 3. *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. Quippe occulta naturæ homini ignota, sapienti haud quaquam vestiganda erit, iterum dicente* Scalig.ex.344. f.

3. Ita *appendix* nostra firmata Dissentientes cum diversi sint, ut d.3. t.2.3. visum, *etiam diversis se firmant rationibus.* Qui animam humanam *ex essentiâ Dei deduxerunt, insufflationem* Gen. 2. v. 3. *urserunt. Et quòd ex ipso omnia esse dicantur.* Rom. 11. v. 36. 1. Cor. 8. v. 6. *Ad prius responsum est* ex.3: th. 7. *Dicta* Rom. 11. & 1. Cor. 8. *ex Deo omnia ut efficiente, regente & conservante esse aiunt,* non de Deo, *ut materiâ. Ex ipso, non de ipso & de substantiâ ejus sunt omnia, ait Augustinus.* Ꝺ ex *in sacris interdum est efficientis, non materiæ.* Mat. 1. v. 20. Ose. 8. v. 4. Joh 8. v. 44. 1. Joh. 3. v. 8. *Et sic* d. 3. c. l. *negatum est, ex Deo animam esse, si* Ꝺ *ex materiæ intelligatur.* Qui ex elementis animam deducunt, *urgent, quod sit forma corporis & materialis molis: quòd commoveatur & patiatur ab eo, ut in morbis, phrenesi, delirijs videmus: quòd lassitudines, tædia, ægritudines, perturbationes in corpore sentiat, sic in ebrietate turbetur; succumbente sub labore corpore & ipsa succumbat.* V. Lucret. l. 3. d. rer. nat. p. mihi 60. 66. 67. seq. *Ad hæc respondetur 1. quòd sit corporis forma, ex eo non sequitur, eam esse corpoream. Nam & corpus à Spiritu informari potest, ubi operationes id docent.*

docent. Quales hic sunt, ut ratiocinari, loqui intelligere, velle, quæ non sunt operationes principij corporei, sed spiritualis. Sic Angelus corpus sibi uniens potest illud ad tempus informare, & operationes per illud exercere. 2. *In delirijs, morbis, ebrietatibus non anima turbatur vel afficitur, sed spiritus corporis à naturali* ἐυκρασία *demoventur, quæ sunt organa animæ, per quæ operationes suas expedit, quamdiu manet in corpore. Organis autem operationum turbatis nihil miri est ipsas operationes turbari. Cum Medici quandoquè dicunt in morbis mentem laborare,* ἐν πλάτει *sunt intelligendi, de operationibus & operandi modis, quos per organa corporis mens expedire debeat, quæ turbata sunt. De* tertiâ Pythagoræorum sententiâ *parum rationum, quibus firmetur, extat.*

4. IV. Qui eductionem animarum *ex potentiâ materiæ defendunt, sequentia urgent.* 1. Anima *est proprius & naturalis actus corporis, cum quo facit unum per se. E. & eundem ortum cum corpore habere debet, ex potentiâ seminis elici. R. Negatur consequentia. Anima Adami erat proprius actus sui corporis, & tamen à Deo inspirabatur, non ex materiâ eliciebatur. Vt aliquid proprius corporis actus sit, satis est, si essentialem subordinationem & vim informandi ad corpus habeat, non necesse est eodem ortu speciali cum corpore gaudere.* Generalis *ortus potest esse communis, propagari:* specialis *diversus, ut* d. 3. t. 22. *dictum.* 2. In materiâ *humanâ est naturalis potentia ad recipiendam formam humanam. E. & ad producendam eam, Quia cuilibet potentiæ passivæ respondet activa. R. Potentiæ passivæ respondet pot. activa, vel in eodem subjecto, cum operandi modus non totam ejus activitatis sphæram superat: vel in diverso, cum superat. Sic spiritum immortalem producere superat vim naturalem seminis, ideò ad superius agens confugiendum, Deum, qui singulari & mirabili*

opera-

operatione in propagatione animæ humanæ concurrit, ut dictum c. l. 3. Bruta *educunt suas formas ex potentiâ materiæ. Sed homo in generatione non debet esse inferior bruto. E. & ille debet educere. R. Homo non sit inferior bruto sc.* in modo generali, *& sic ut brutum generando propagat totam speciem, sic & homo.* V. l. c. t. 24. *In modo speciali diversus à bruto esse potest, ut non sit tamen inferior.* V. t. 25. 4. Homo attingit *ultimam dispositionem materiæ ad generandum. E. & formæ eductionem, quæ ex illâ sequitur. R. sc. si forma sit ejusdem ordinis cum illis dispositionibus, materialis, dependens, corruptibilis. At anima rationalis est superioris ordinis. Hic propagatio in genere sufficit, non opus materiali ex materiâ eductione, sed singulari Dei cooperatione.*

5. Qui ab Angelis *animas factas, aut in principio simùl omnes à Deo creatas esse, aut ab æterno vixisse, aut ex campis Elysijs, Zodiaci portis, vel sideribus delapsas in corpora ajunt, infirmis & penè nullis rationibus nituntur. Quasdam earum percensent & refellunt* Conimbr. 2. d. an. c. 1. q. 3. a. 1. 3. Bellarm. l. 4. d. pecc. c. 11. Rabbini *suam sententiam ex* Deut. 29. v. 15. Job. 38. v. 21. Eccles. 4. v. 12. Esai. 57. v. 16. Jerem. 1. v. 5. *probare nituntur. Nihil illis probari in ipso discursu docebitur. Ad* Esai. 57. & Jerem. 1. th. 9. *respondetur. Accedamus ad* primariam *hac in re dissentientium sententiam, quæ animas à Deo creari & creatas infundi docet. Multis hi suam mentem argumentis fulciunt, ut apud* Bellarminum, Valentiam, Becanum, Zanchium, Alstedium, Junium, Goclenium, *aliosquè videre est. Dispescemus ea in certas classes, secuti Alstedium, ut ordine, quid ferant, discutiatur.* Quædam *sumuntur ex dictis scripturæ:* Quædam *ex rationibus:* Quædam *ex authoritatibus.*

6. *Ex scripturis urgentur sequentia dicta:* 1, Dicta *creationem*

tionem hominis describentia. Gen. 1. v. 27. c. 2. v. 7. *In creatione Deus ostendit, quaenam sint principia omnium rerum. Sed ibi anima ab extra accesſit in corpus, inſpirando & creando, non producta propagando. E. & talis hodiè ejus origo.* R. 1. Bella. c. l. *ingenuè fatetur, hunc locum ſatis demonſtrare, animam primi hominis à Deo ex nihilo fuiſſe creatam, ſed non cogere, ut idem de animabus reliquis judicetur. Poteſt enim reſponderi, ut Deus primi hominis corpus ex limo terrae formavit; ſed reliqua per generationem ex parentum corporibus procreat: Sic ejus animam ex nihilo fuiſſe creatam, nunc verò ex illâ primâ reliquas propagari.* Junius *hoc argumentum pro probabili habet, non autem cogente, in* c. 2. Gen. v. 7. *Similiter* Pareus in c. l. Gen. & Zanchius l. 2. d. hom. c. 5. th. 2. §. 1. *Sed* Alſtedius l. 6. Ency. p. 4. c. 1. §. 3. *fidentior, hoc argumentum, ait, ab analogiâ creationis non eſt probabile, ut quidam opinantur, ſed neceſſarium.* 2. *Deus oſtendit in creatione principia rerum, ſed creationis, non propagationis. Poſt creationem juſſit animalia ſe propagare. Et ceſſavit creatio & ſucceſſit generatio.* V. d. 3. t. 21. *In creatione Adamum ex limo, Evam ex coſtâ, aves & piſces ex aquis, terreſtria bruta ex terrâ creavit. Sed poſtea ex ſeminibus ſuis per generationem ea omnia propagari voluit. Ita hoc argumentum à creationis analogiâ nihil probat.* Inſtas: *Sic animae noſtrae erunt alius ſpeciei, quàm Adami, ſi aliundè, quàm ejus, originem ſumant. Sic: Noſtra corpora non ſunt ex alio principio materiali, quàm Adami, pulvere terrae. E. illi in ſpecie anologa R. Neg. Conſ. Corpora noſtra ex ſemine, Evae ex coſtâ, Adami ex terrâ, ut proximâ materiâ ſunt, & tamen ejuſdem ſpeciei. Poſſunt effectus ejuſdem ſpeciei à diverſis cauſis eſſe, ſic mus genitus, & ex putredine ortus. Et Deus utrinquè eſt author animarum, & Adami & noſtrae: ſed illius per creationem, noſtrarum per propagationem.*

7. 2. Di-

7. 2. Dicta *creationem Evæ narrantia.* Gen. 2. v. 22. 28. In eadem specie eadem est analogia. *Et Moses diversam originē animæ Evæ non narrat ac Adami, quod omninò fecisset, si diversa fuisset, nam origines rerum describere voluit. E. ut Adami anima insufflando creata fuit, ita & Evæ. Hoc & Adam ipse novit, cum os ex ossibus suis, & carnem ex carne suâ, non autem animam ex animâ eam esse agnoscit. Quod magis ad exprimendam conjunctionem conjugij fecisset, quæ & corporum & animorum esse debet, si anima ex Adamo sumpta fuisset. R. 1. In eadem specie eadem est analogia quoad partes & operationes essentiales, non partium ortum; & cæteris paribus. Animalia ex putredine & ex semine orta ejusdem sunt speciei, & hactenus eadem analogia: Ad modum tamen originis eam extendere non oportet. Aurum naturâ genitum & artē Chymicâ mutatum ejusdem speciei, originis ratio diversa. Homo generatus, & post corruptionem totalem resuscitatus ejusdem speciei, & ratio ortus diversissima.* 2. *Moses non quidem* narrat *diversam originem animæ Evæ & Adami, sed tamen* insinuat. *1. quia ex animatâ costâ Adami formavit eam Deus, non inanimatâ.* Gen. 2. v. 22. 2. *Quia Adamus eam os ex ossibus* suis, *carnem de carne* suâ *vocat, & de viro sumptam ait. v. 23. At ipsius ossa & caro erant animata, & ipse vir vivus, non inanimatus. 3. Quia non narrat, animam ei inspiratam, ut Adamo. 4. Quia conjunctionem tantam conjugum prædicat Adamus, ut & parentes ob eam sint relinquendi. At tanta conjunctio non ex carnis solius & inanimæ participatione proficiscitur, sed vivæ & animatæ.* 3. *Moses origines rerum narrat, sed constituendarum, non constitutarum. Non ergò necesse, & in his eandem animarum præcisè originem specialem esse, ac in istis. Hic cessavit creatio, & successit generatio.* d. 3. t. 21. 4. *Animam*

ex animâ dicere non necesse fuit, quia jam carnem ex carne dixerat, ubi synechdochicè & carnem & animam intellexerat, sic Joh. 3. v. 6. *At carnem vivam ex carne vivâ sumi arctissimam conjunctionem innuit, in corporis & animi societate consistentem, ut ita conjugium velut unius carnis conjunctio sit.* Matth. 19. v. 6.

8. 3. Dicta urgentur, *Deo formationem spirituum, i.e. animarum humanarum adscribentia.* Deut. 32. v. 6. *dicitur, Deum patrem Israëlitarum esse, qui facit & creavit ipsos.* Psal. 33. v. 15. *finxit sigillatim corda eorum.* Eccles. 12. v. 7. *spiritus redit ad Deum, qui dedit eum. Vbi inprimis analysis hominis observanda. Nam* talis est rei genesis, qualis analysis. *Sed spiritus immediatè ad Deum redire dicitur. E. & immediatè ab eo productus fuit.* Esai. 42. v. 5. *Deus dat flatum populo terræ, & spiritum calcantibus eam.* c. 57. v. 6. *spiritus à facie Dei egredietur, & flatus ipse facit, i.e. animas.* Jerem. 1. v. 5. *Deus novit & formavit* Jeremiam *in utero.* c. 38. v. 16. *Vivit Dominus, qui facit nobis animam hanc.* Zach. 12. v. 1. *Deus cœlum extendit, terram fundat, & fingit spiritum hominis in eo. Vt solus cœlum & terram creavit: sic & solus animam hominis creat. Hinc commendatur omnipotentia ejus: si ad animas & concurrant parentes, argumentum pro omnipotentiâ Dei flaccescit.* Sapien. 15. v. 11. *Ignorat figulus eum qui se finxit, & qui inspiravit illi animam, & qui insufflavit ei spiritum vitalem.* v. 16. *homo spiritum mutuari dicitur.* 2. Macc. 7. v. 22. *negat mater, se spiritum & animam filiis donavisse, aut vitam suppeditasse* Act. 17. v. 25. *Omnibus vitam & inspirationem dare Deus dicitur. R. Bellarminus* c. l. c. 11. *dicta illa,* ait, *probant quidem, animarum omnium conditorem esse Deum, non tamen modum indicant, an per creationem ex nihilo, an per propagationem ex animâ primi hominis.*

Verissi-

Verissimè hoc: Ex dictis illis istud sequitur, Animarum authorem omninò esse Deum, hoc conceditur: sed tali & tali modo authorem esse, per immediatam creationem ex nihilo & infusionem inde non sequitur. Hoc specialis dictorum solutio docebit. Deo hæc tribuuntur, quia ab ipso est causalitas omnium causarum naturalium, ait Scalig. ex. 6. ſ. 3.

9. *In specie locus* Deut. 23. v. 6. *de beneficijs Israëlitis exhibitis agit, quòd eos diviserit à cunctis gentibus, & sibi in peculium asseruerit, ut* v. 8. 9. 10. *docetur. Creare ibi est reformare, distinguere, in ordinem reducere, in regnum & Ecclesiam statuere & stabilire. Ita* Corn. à Lapide in h. l. *Reddit hic rationes peculiares Moses, ob quas Judæi singulariter sint obstricti. At beneficium universalis creationis est illis cum omnibus commune, non peculiare.* Psal. 33. v. 15. *de cogitatis loquitur, & inclinationibus cordis, non animâ.* Eccleſ. 12. *Deus spiritum dare dicitur, non tamen immediatè. Quomodo corpus nostrum ex pulvere est, in quem revertitur, ita anima à Deo, qui dedit eam. At illud* mediatè *ex illo est, mediante semine, & respectu primæ formationis Adami, quomodo omnes homines ex pulvere esse dicuntur.* Sirac. 33. v. 10. *E. & anima est à Deo, sc. nunc mediantibus parentibus per propagationem, olim in Adamo per immediatam creationem.* Ab analysi hominis ad genesin inferre valet in terminis à quo & ad quem, non tamen in modo terminorum immediato. *Sic corpus redit in pulverem. E. ex eo constat. Non tamen inferes, E. hodiè immediatè ex pulvere venit. Sic, Sp. redit ad Deum: non tamen sequitur. E. immediato modo ab ipso in corpus venit.* A Deo venit: Sed tali vel tali modo venire inde non ſequitur. Eſai. 57. *de Spiritu S. in Pentecoste sub flatus specie venturo sermo est, non animabus quotidiè in homine creatis.* Cap. 42. & Jerem. 38. *Deus facere animam, spiritum*

 & fla-

& flatum hominis dicitur. Id non negamus. Sed immediata creatio inde non sequitur. Et corpora nostra formare dicitur Deus. Job.10.v.8.9.10. Psal.139.v. 15.16. Esai: 44. v.42. Jerem. 1. v. 5. 2. Macc. 7. v. 11. 22. *Et homines facere.* Psal. 119. v. 73. 2. Macc. 7. v. 23. Syrac. 7. v. 32. *Nec tamen hæc immediatè hodie creari quisquam dicit. Format Deus totum hominem, & totius pater est jure creationis, non animæ solius, sed & corporis: unde nos totos in morte ei commendamus. Etiam ventum creare dicitur Deus, & montes formare.* Amos 4. v. 17. *nec tamen hodie ex nihilo illi creantur.* Jerem. 1: *de formatione totius hominis sermo est, non solius animæ, & segregatione ad futurum munus Propheticum.* Zach. 12. *vel ad primam hominis creationem respicit, ut adjecta extensio cœli, & fundatio terræ ostendit, quæ olim fundata est, hodiè non fundatur, sed conservatur, sic animam immediatè à Deo fuisse non negatur: vel ad continuationem animarum, sic animas à Deo formari conceditur, sed immediatâ creatione id fieri non sequitur. Emphaticè dicitur,* spiritum hominis formare In Homine, *ut modus propagandi per hominem innuatur: non extrà immittere vel infundere in eum, quod creationem ab extra & infusionem creatæ notaret. Etiam homines formare dicitur, & illud extensioni cæli & fundationi terræ jungitur.* Esai. 51. v. 13. *Nec tamen immediata hominum creatio inde sequitur. Omnipotentia* DEI *satis commendatur, si in primâ rerum creatione immediatè cælum, terram, & animam creasse dicatur, quod conceditur, & si in continuatione rerum & causæ secundæ agant quod suum est, concurrente primâ causâ, & motum influxumq; suppeditante, quod & ipsum omnipotentiæ divinæ est argumentum.* Brightus in Phy. Scri. l.1. §. 22. respondet, in Hebræo esse verbum יָצַר, *quod fingere & formare ex aliquo notet, non* בָּרָא, *quod ex nihilo creare significet. Unde sic formatio animæ*

nimæ intra ipsum corpus notetur, non immediata creatio. Sap. 15. *ad primam creationem in Adamo respicitur.* 2. Macc. 7. *negat mater se spiritum filijs dedisse, quasi scilicet ipsa à se facultatem habuisset formandi hominem, sic enim Deus ut primum agens adducitur* v. 23. *Sic & negat membra se formasse distinctè,* v. 22. *quæ tamen utiquè formavit. Sic negatur Ananias mentitus esse hominibus.* Act. 5. v. 4. *& si Petro mentiebatur, quia non tàm Petro, quàm Sp. S. mentitus fuit.* Act. 17. *Deus omnibus inspirationem & vitam dare dicitur, ubi & bruta comprahenduntur. At his per generationem dat vitam, non immediatè per creationem. Sic corvos pascere dicitur, & jumenta.* Job. 39. v. 3. Psal. 147. v. 10. *Sed mediatè per parentes, homines, aliavè media, non immediatè.*

10. 4. Urgentur dicta, *Deum Patrem Spirituum vocantia, ut* Num. 16. v. 22. c. 27. v. 16. Hebr. 12. v. 9. *Dominum Spiritus.* 2. Macc. 14. v. 46. *conditorem animarum.* 1. Petr. 4. v. 19. *R. Inde etiam non immediata creatio sequitur. Et Dominus universæ carnis dicitur.* Jer. 32. v. 27. *Nec tamen caro immediatè ab eo creatur-* Num. 16. & 27. *non tàm ratione creationis, quàm conservationis, gubernationis & intimæ cogitatorum scrutationis ita dicitur, quòd intima cordidium cogitata penetrare possit, sicquè videat, populum non malitiâ rebellare, sed deceptione: & ex intimo illo recessuum humanorum donorumq; in homine scrutinio maximè idoneum ad gubernandum populum inposterum eligere possit. Hæc contextus docet.* Heb. 12. *Pater Spirituum non ratione animæ dicitur, sed* totius hominis regeniti, *& status spiritualis regenerationis, & opponitur patri carnis ratione status carnalis; ut sicut â carnalibus corpus, vitam carnalem, & informationem civilem habemus: sic â spirituali vitam, informationem & statum spiritualem. Et paternitas magis dicitur ratione generationis, quàm creationis. Quod spiritualiter nos in fi-*

in filios regeneret, inde pater dicitur. *Hoc* v. 10. *docet. Sic Filij Dei & filij hominum dicuntur, non ratione animæ vel corporis, quasi hoc â parentibus, illa immediatè â Deo habeatur, sed ratione status & adhærentiæ, quòd vel divinis rebus vel humanis adhæreant.* Gen. 6. v. 2. 4. 1. Pet. 4. *Deus conditor animarum non simpliciter dicitur, sed in bonis operibus, quòd ille solus regenerationem animarum ad bonum præstet.*

5. Urgetur *locus* Exod. 21. v. 22. *Vbi 70. Interpretes reddiderunt, &* non fuerit formatum, *mulctæ arbitrariæ subjacebit, ut Embryo notetur adhuc informandus animâ rationali nondum informatus: unde colligitur, non statim cum semine dari animam rationalem, sed post demum eam succedere. Et qui percutiat embryonem, non occidere hominem, quippe nondum animâ rationali formatum, unde nec ordinariâ pœnâ homicidij puniri. Et sic anima rationalis non poterit per traducem statim in conceptione propagari. Ita* Zanchius c. 5. l. 2. th. 2. *R. 1. In Hebræo, quorsum in veritate indagandâ recurrendum, nihil horum est, sed mortuo fœtu animam pro animâ dandam dicitur, vivo illo egresso arbitrariam pœnam irrogandam. 2. Si omninò de formato vel non formato fœtu ibi agatur, poterit id commodè* de delineatione formæ externæ accidentalis & humanæ accipi, *ut membra fœtus quasi plenè effigiata sint, ut sit parvus quasi vir, non præcisè de descriptione formæ essentialis. Ita* Corn. â Lapid. in h. l. *Potest etiam illa non formatio de operationibus, quæ in fœtu se exerunt, accipi, ut anima rationalis quidem adsit, sed organorum defectu per rationales operationes se exerere nequeat. 3. Non sequitur, si occidens embryonem non ordinariâ pœnâ homicidij puniatur, non occidere illum verum hominem, sed futurum tantùm. Nam & servum suum occidens non punitur ut homicida,* v. 21. *Et tamen verum hominem occidit. Sic si bos cor-*

nupeta occidat servum & ancillam, pecuniaria pœna irrogatur domino. v. 32. *Sic qui casu hominem occidit, non morte punitur.* Deut. 19. v. 5. 6. *Et tamen veri homines occisi. Ideò non ordinariè punitur Embryonem occidens, non quòd non verus homo sit embryo, sed quòd non intentus sit occidi, sed casu id factum, cum alium virum percutere intendisset, nec ita facilè adverti potuerit, an mulier prægnans esset, atque ipsa mulier adverti potuit: unde hujus occisio ordinariè punitur, ut homicidium.*

II. 6. Urgetur *locus* Levit. 12. v. 2. 3. 4. *de lege purgationis, ubi genito puero 40. dies, puellâ 80. mulieri in purgationem statuuntur. Quod indicio est, istis diebus animas liberis infundi. R. Lex purgationis non animarum infusionem sed perfectam membrorum conformationem notat. Et ob fluxum sanguinis in puerperis statuitur,* v. 4. 5. *non accessum animæ rationalis.* 7. Urgetur *ex sacris exemplum* Christi, *cujus anima non fuit tracta à matre, secus peccato originis infecta fuisset, ut ipsa matris anima. E. nec nostræ animæ à parentibus traducuntur, fuit enim Christus nobis per omnia similis, excepto peccato. R. omninò Christus à matre animam traxit, sed sine peccato, ob peculiarem Sp. S. operationem supervenientem Mariæ, & obumbrantem eam, ac segregantem ab omni labe partes illas, ex quibus Christus formandus erat. Vnde mirabiliter sine concursu viri conceptus est à Sp. S.* Mat. 1. v. 18. 20. *Et quod in Mariâ conceptum fuit, sanctum fuit,* Luc. 1. v. 35. *Vt ergò Christus à matre & animam & corpus hausit: ita & nos à parentibus. Sed cum nos non ita segregemur peculiari sanctificatione, ut Christus, non mirum, si peccato infecti progeneremur. Non à viro ortus est Christus, in quo ut primo parente omnes peccatum contraximus, ut qui virtute in illo continebamur, & naturali propagatione ab eo propagari debebamus.*

Fuit de Adamo, Abrahamo, Davide, Christus, quia carnem, quæ de ipsis erat, induit: non fuit in eis, quia virtute naturali activâ ab ipsis derivatâ non est propagatus, sed virtute Dei, ut ex Patribus *loquitur* Toletus in c. 1. Luc. n. 95.

12. *Fuerunt* argumenta ex scriptura; *Sequuntur, quæ ex ratione. Objicitur* 1. Om: generabile *est etiam corruptibile & mortale. Anima humana est generabilis, si unà cum corpore generando propagatur. E. & corruptibilis & mortalis, quod est contra fidem Christianam. R. 1. Nego majorem. Homo in statu integro fuisset generabilis, quia generando propagari debebat: non fuisset corruptibilis & mortalis, concedentibus Adversariis.* V. d. 3. t. 26. *2. Limito majorem. Om: generabile sc. per generationem merè naturalem & eductionem ex potentiâ materiæ est corruptibile. At anima propagatur per peculiarem Dei cooperationem & benedictionem, modo speciali propagandi nobis incognito. Ita animam mortalem esse non necessum est. 3. Om: generabile scil. totale & ultimatum,* & ut quod, *est corruptibile, sc. potentiâ remota, & nisi impediatur. At anima est potiùs generabilis* ut quo *& partiale, quod potiùs propagatur quàm generatur, quod est compositi. 4. Anima humana est immortalis, quia Deus talem esse, & ex tali animâ præditus eam propagari voluit: Eadem est simul propagabilis, quia & talem Deus esse voluit. Hæc non sunt Christiano opponenda, sed subordinanda. Primaria radix, cur res talis vel talis sit, est quòd Deus eam talem esse voluerit.* V. d. 3. t. 23. *Obj:* 2. Anima subsistit *per se post mortem. E. nec dependet in fieri à corpore, sed per se producitur, non ad productionem corporis. E. nec generatur aut propagatur, sed per se producitur, i. e. creatur. R. anima subsistit per se citra corpus, sed violenter & præternaturaliter, non per sui naturam: & per se est forma sui corporis, per*

statum

statum violentum est extra corpus. V. d. 3. t. 26. *Nec generatur anima, quod compositi esse aiunt Philosophi, sed propagatur. Ex propagatione qualicunquè dependentiam materialem â corpore & consequenter mortalitatem colligere non sequitur.*

13. 3. Om. *spiritus est ingenerabilis.* Matth. 22. v. 30. *Anima humana est spiritus. Ergò. R. 1. Conceditur totum, non generatur, sed mirabiliter propagatur. 2. Major si de propagatione qualicunque intelligatur, est falsa. Valet de spiritu subsistentiam totalem & completam habente, qualis est Angelus, non incompletam.* V. d. 3. c. l. *& in statu spirituali spectato, qualis hominum post resurrectionem est, hoc vult locus citatus, ut ex Marco patet* c. 12. v. 25. *non animali, qualis est homo ad hanc vitam creatus, ubi ad propagationem conditus.* 4. Absurdum *est, rem corpoream agere in spiritualem, ut concessum,* d. 3. t. 15. *E. minus spiritus produci potest à corpore. R. Spiritus non producitur à corpore, ut corpus est pars hominis altera spiritui contradistincta, sed ut ad modum totius sumitur animâ & corpore constans, quomodo homo corpus animatum sentiens dici solet. Sic totum, homo, propagat generando totum, hominem, non seorsim corpus, non seorsim spiritum. Qui animas ab animabus velut accendi & promoveri sentiunt, ut ignis ab igne,* V. d. 3. t. 22. *respondebunt, non animam oriri ex corpore, sed animâ, & spiritum à spiritu promoveri, per mirabilem Dei benedictionem, sic esse jubentis, & cooperationem, sic esse facientis. Deinde absurdum est, corporeum virtute naturali & materiali partialiter producere animam, ut spiritum & partem alteram compositi. Sed non absurdum est,* totam speciem singulari virtute seminali â creatore inditâ totam speciem propagare, *& sic consequenter formam producti trahi à producente, quod nos statuimus.* V. d. 3. t. 22. *Pater non producit animam filij ex semine, non corpus ex semine,*

mine, sed species tota generando propagat speciem. Hoc Dei jussui & benedictioni, naturali generationi, & specierum conservationi est conveniens, nec ultrà curiositati fræna laxanda sunt. 5. Nihil agit *ultra speciem, viresquè suas. Sed corpus est quantum & materiatum, anima non quanta & spiritualis. E. â quanto produci non potest. R. nec producitur à corpore seorsim & partialiter, sed totus homo à toto homine totaliter propagatur.* V. c. l.

14. 6. Anima *trahitur vel ex corpore, sic erit corporea, materialis, corruptibilis: vel ab animâ: sic vel ab animâ patris, eaquè vel totâ, & sic ipse privabitur animâ; vel parte, sic anima rationalis erit partibilis: vel erit una anima patris & filÿ, sic non erunt duo supposita numero diversa, pater & filius, nam illa duas formas numero diversas requirunt: vel ab animâ matris, sic pater non erit primarium generans, cui tamen filÿ primariò adscribuntur in sacris: & filius magis erit matris, quàm patris: vel ab utriusq; sic vel dividetur utriusq; anima, vel duplicabitur in filio anima, si tota ab utroquè parente in eum derivatur. Quæ omnia sunt absurda. E. anima non trahitur à parentibus. R. 1. Totum argumentum respicit modum specialem ortus animæ, quem ulli hominum cognitū esse negatum fuit* d. 3. t. 22. *Nam in modis specialibus ita disjungere solemus, aut ab hoc, aut ab illo, aut utroquè: aut divisione, aut multiplicatione, aut privatione. At cum modum specialem non cognitum homini esse dicimus, omnia ista disjuncta removere possumus, & addere, aut* modo aliquo peculiari nobis incognito, *nec satis explicabili. Hoc tutissimè hic adhibebitur.* Aut à toto, sc: homine orietur totus homo, non corpus â *corpore, non anima ab animâ seorsim, non pars â parte: sed totum â toto, homo ab homine, filius â parente utroque in conjunctione conjugali ut una caro spectato, per*

modum

modum specialem nobis incognitum & peculiarem Dei cooperationem. Sic & in brutis se res habet: Totum oritur à toto, non pars à parte: species generando propagat speciem, non partem, per Dei jussionem & benedictionem. Ad partialitates illas in animâ delabi velle perinde erit, ac singula membra à singulis membris oriri dicere. Cum totum oriatur à toto virtute totaliter generandi à Deo prædito & fœcundato, non pars à parte. Est in bove virtus generandi totum bovem, non corpus seorsim, non animam, per Dei voluntatem & benedictionem: Cur non in homine virtus generandi totum hominem animâ & corpore constantem, non hanc, non illam partem partialiter, per eandem benedictionem? Conf. d. 3. t. 28. *Generatio est totius à toto productio, non partis à parte separata communicatio.*

15. 2. *Anima & ab patre trahitur, Vnde patres genuisse* Gen. 5. v. 3. 5. c. 17. v. 20. *& animæ ex fæmore ipsorum prodiisse dicuntur.* V. d. 3. t. 23. *& ab matre, unde & hæ gignere dicuntur.* Gen. 4. v. 1. 2. 17. c. 17. v. 16. 19. *Sic Maria genuit filium.* Matt. 1. v. 20. Luc. 2. v. 6. 7. *Et Christus animam à matre traxit: & filij matres interdum repræsentant: Et parentes simùl efficere liberos dicuntur.* Syr. 7. v. 30. *Sed non per divisionem materialem, nec privationem animæ parentum, aut communicationem transitivam, nec coalitionem animæ parentum & liberorum, vel duplicationem ejus in liberis, sed communicationem multiplicationis & fœcunditatis, quâ per Dei benedictionem & virtutem in parentibus virtus existit muliplicandi suam speciem quoad corpus & animam, ut retineant quod habent, & communicent liberis essentiam, quam liberi non habent, sed à parentibus accipiunt. Sic bos & retinet sibi animam, & tamen singulari fœcunditate divinitùs inditâ* per verbum; crescite & multiplicamini, *communicat*

fœtui animam & essentiam, ut nec propriâ destituatur, nec instar corporis anima dividatur, sed nova mirabili fœcunditate sufficiatur, & promoveatur. Cur non æqua fœcunditas in homine agnoscatur? 3. *Generatio est utriusq; sexus conjunctim, non alterius divisim: non solius maris, nec solius fœminæ, sed maris & fœminæ simùl, quà in conjunctione conjugali una caro & unum agens sunt.* Gen. 2. v. 24. Matth. 19. v. 6. Ephes. 5. v. 31. *Unde ab Adamo omnes progeniti sumus, non solitario, sed per conjunctionem conjugalem cum Evâ spectato: & tàm agnoscere Evam matrem, quàm Adamum patrem debemus. Nec filius magis est patris, quàm matris, nec filia magis matris, quàm patris: sed ut parentum communis est generatio, ita filiationis eadem quantum ad naturam communio. Quicquid de* Ethicâ aut Politicâ *æstimatione sit. In his conjunctim ut unum agentibus non valet divisim arguere: Aut ab hoc, aut ab isto id est: nam addendum tertium, aut ab utroq; conjunctim ut unum agens spectato. Sic lumen unum in conclavi conjunctim à duabus candelis productum est, non divisim: nec licet dicere: aut ab hac candelâ est, aut ab ista; Cum ab utraq; in conjunctâ operatione velut unâ sit. Ita generatio* nec solius est patris: *Cur enim non sine fœminâ generat? Cur mas & fœmina cum sint ejusdem speciei, non habeant eandem specie potentiam? Eandem enim speciem eadem sequitur potentia.* Nec solius matris. *Cur enim non sine mare gignit? Cur ova subventanea, quæ à fœminis sine mare concipiũtur, ad fœtũ producendũ sunt inepta? Cur plantæ, in quibus unus interdum est sexus, semen in terræ gremium projiciunt, ut ibi velut in utero elaboretur? sed* utriusquè sexus *commune apotelesma. Et rectè* Empedocles *semen genitale maris & fœminæ quasi symbolum dixit, totum autem à neutro proficisci, ap.* Aristot. 1. d. gen. anim. c. 18. *Non habet semen patris & matris in generatione rationem duplicis*

plicis & sejuncti principij, quasi in semine patris esset tota anima, in semine matris etiam tota, sic enim duplex anima orietur: sed unius & conjuncti, quod ita conjunctum coalescit & fit principium, cum sejunctum & separatum rationem principij non habuerit. Semen maris & fœminæ in generatione conjunctum per Dei ordinationem est principium genituræ: maris solitarium vel fœminæ non est principium. Generatio est conjuncta & unita operatio, non divisa. *Vt forma non potest esse nisi una unius rei: Ita principium continens ipsam formam non potest esse nisi unum. Forma enim cum sit simplex & indivisibilis, ex duobus componi non potest. At componeretur, si ê mare prodiret ac fœminâ, ait* Scalig. ex.268. *Vt ex silice & ferro contusis ex utrisq; nascitur ignis: sic ex viri & mulieris conjunctione per Dei concursum constituitur corpus & anima, & sic fœtus.* Conf. D.Sennert.d: Chym. conf.c.9. l. 1. inst. Medic. c. 10. *Nec duplicari ex maris & fœminæ semine effectum necesse est, sicut nec à duabus candelis lumen diffusum in conclavi duplicatur, quia non ut duo agentia, sed ut unum concurrunt. Generatio facta est per Adamum & Evam simùl, ait* Alsted. p.4.Th. Polem. d. gra. pr. hom. q. 9. p. 469. *Sic ex tribus palmularum ossibus satis fiet unus stipes, & unica uno contenta stipite palma.* Scaliger ex. 106. s. 6. 4. *Si omninò naturaliter duplex anima in filio à duplici parente oriri deberet, impediretur tamen illa duplicatio mirabili cooperatione Dei, quam in generatione humanâ agnoscimus, quæ ad unum determinaret, quod aliàs duplex fieret. Naturalis tamen hæc determinatio dici posset, quia & frequens esset, quod miraculi vim elevat, juxta* Scalig. ex.312. & *subjecto, animæ ac composito, debita & conveniens. Quidam à solo patre animam traduci putant, quod defendentem Vide* D. Meisnerum, p. 1. Ph. so. s. 3. c. 6. q. 1. p. 599.

16. 7. Si ab *utroq; parente producitur anima, E. frustranea erit alterius operatio, nam ab uno totaliter anima produci posset. Sed natura & ars nihil agunt frustra. R. 1. Non esset frustraneus duorum concursus, quia institutioni divinæ & statui conjugali conveniens, nec potest generatio uno sexu perfici, sed utriusq; concursus ad eam requiritur, tanquam commune utriusq; apotelesma, agente quovis, quod suum est. Sic sunt duo equi in trahĕdo onere necessarij, quod unus trahere non potest. Idem in causis subordinatis ad unum effectum concurrentibus habendum. 2. Vbi causæ totales sunt mutuam dependentiam non requirentes, ibi causa una sufficit, & altera est frustranea. Sed in generatione neuter sexus est causa ita totalis, ut alterius concurrentiam non requirat. Nisi divinitùs unus suppleatur ad producendum effectum, ut in Mariâ factum, quæ sine viro genuit.* 8. Obji: Aut per unam *actionem parentes producunt animam, aut per duas. Si per unam, quomodo à diversis numero subjectis una numero actio prodire potest. Si per diversas, quomodo non duæ animæ ad duas productiones sequuntur? Et ex duobus actibus non fit unum per se. R. 1. Per duas actiones producunt, sed non sequitur duplex effectus, quia causæ sunt concurrentes & subordinatæ in actione, non disjunctæ & separatæ. Sic duo pictores unâ picturâ occupati unam imaginem producent, non duplicem; & causa principalis & instrumentalis producunt unum numero effectum; non duplicem: & duo luminosa corpora unum numero lumen unitivè in medio producunt. 2. Si omninò duæ animæ à duabus causis sequerentur, impediretur id tamen mirabili primi agentis directione & cooperatione in generatione hominis, quam in eâ concurrere fatemur. 3. Ex duobus actibus sc. substantialibus & completis non fit unum per se: sic ex duabus animabus non fiet unus homo per se, non autem ex duabus actionibus non fit unum*

unum compositum. *Et ex uno, quod est instar materiæ, altero, quod instar actus, unum per se fieri usitatissimum.* *Confer* Scalig: ex. 268. & ex. 106. f. 6.

17. 9. Si ab utroquè parente est *anima, & sic etiam à matre, cur mulier dicitur principium generationis passivum, si & ipsa activè ad generationem concurrit? Cur mulieres dicuntur similes spadonibus, qui activè non generant? Cur non ob emissionem spirituum marcescunt, ut viri, si activè generant? Cur sexuum differentia in eo ponitur, quod mas sit principium agens, fœmina patiens? Cur à mare familiæ origo & denominatio sumitur, non à muliere simùl, si & hæc activè generat? R. 1. Mulier dicitur principium passivum non in ipso opere generationis, sed in ejus præparationibus. Mas ejicit semen, fœmina recipit & elaborat: sic mas dicitur agens, mulier patiens, & in hoc est sexus differentia. Quod mas extrà generet, fœmina intrà: ille ejecto semine quiescit, hæc ultrà præparat, disponit, gestat, & elaborat. 2. Mulieres dicuntur spadonibus similes, qui extrà generare nequeunt, ut vir perfectus, sicut & spadones id nequeunt: non quod nihil ad vitam animamvè fœtus comportent. Eædem non marcescunt ob emissionem spirituum, quia nec semper emittunt semen, ut viri, nec extrà ejaculantur, sed intrà recipiunt. Quomodo mas sit agens, fœmina patiens, ex dictis constat. 3. A patre familiæ origo & denominatio sumitur, quia is caput familiæ, principale in generatione agens, caput uxoris, & propter quem mulier est facta, non ipse propter mulierem.* 1. Cor. 11. v. 3. 9. *Et cui mulieres liberos generare dicuntur, tanquam domino.* Gen. 21. v. 2. 3. 7. 9. c. 22. v. 20. c. 24. v. 24. 47. c. 25. v. 2. c. 30. v. 5. 1. Paral. 15. v. 4. & passim.

18. 10. Si anima à parentibus traducitur, *aut in primo conceptionis puncto adest anima rationalis, aut post succedit.*

cedit. Si in primo puncto adest, ergò latebit in semine, & ex ejus potestate posteà emerget, sic erit materialis, ut anima bruti, & consequenter mortalis. Si post succedit, ergò non concipitur homo, sed aliud quid ab homine, & homo fieri postea demum incipit. R. In primâ conceptione adest anima humana in semine, nam & homo concipitur. V. d. 3. t. 27. *Sed non ut ex ejus potestate merè naturali exsurgat, ut forma materialis, sed ut peculiari Dei cooperatione & benedictione propagetur, & sic totus homo à toto homine generetur. Est medium quid inter propagationem materialem & immediatam creationem, nempè propagatio quidem, sed non merè naturalis, verùm accedente peculiari Dei cooperatione, & quæ* propagatio singularis *& mirabilis dici potest.* 11. Si animus *propagatur in generatione, est opus non Dei immediatum, sed naturæ. Si est opus naturæ, generatur. Si generatur, ex materiâ generatur. Si ex materiâ, erit materiatum quid & corpus, non spiritus. E. Si animus propagatur, est corpus, non spiritus. R. Fallit illa propositio, si est opus naturæ, generatur: Potest enim mirabili virtute divinâ naturæ inditâ propagari. Compositum & totum propriè generatur: Partes vel congenerantur vel propagantur.*

19. 12. Si anima *oritur ab animo, aut existet ex nullâ materiâ, & sic creatur, aut ex aliquâ. Nam quicquid fit, vel ex nihilo fit, quod est creari, vel ex aliquâ materiâ. Ita vel ex semine proprio anima erit, quod non; quia est spiritus immaterialis & simplex, omnis corporeitatis expers, & sic semen non habet: vel ex alieno & corporis, sic erit corporeus. R.* Quicquid *fit ultimò & tanquam compositum, ex nihilo vel materiâ fit. Ita composita propriè fiunt. Formæ compositorum non fiunt, sed confiunt, educuntur, emergunt, traducuntur, propagantur. Anima humana producitur mirabili modo, &*

peculiari

peculiari Dei concursu, cujus omnes rationes explicare nequimus. Ita nec ex nullâ materiâ procedit per creationem, nec ex materiâ seminali per communem generationem, sed ex virtute seminali per singularem Dei benedictionem, & peculiarem ac non materialem propagationem. Potest dici traduci ex potestate materiæ, sed non naturali, *ut formæ brutorum, plantarum,* sed obœdientiali, *respectu singularis concursus & benedictionis divinæ. Ita & ex virtute seminali esse potest, & simul incorruptibilis manere. Quia Deus utrumq; fieri voluit.* V. t. 12. *Conf.* D. Gerhard. d. imag. dei. §. 124. 13. Animus *oritur ab animo, vel ut materiâ, sic erit materiatus, vel ut efficiente, sic actione naturæ propagatur. R. vel ut toto homine per actionem particulariter & specialiter nobis incognitam, & singularem Dei benedictionem. Homo generatur ab homine totaliter, non corpus à corpore, animus ab animo partialiter.* V. t. 14. *Ignoramus modos speciales humanæ generationis.* V. th. 2. *Itaq; in partes singulas disquirendo specialiter delabi non possumus.* 13. Quæ similis *sunt naturæ, etiam similes operationes & origines habent. Sed anima humana & angelus similis sunt naturæ, spiritualis nempe & incorporeæ. E. & similem habent originem. Et consequenter ut angeli non propagantur, sic nec animæ humanæ. R. Major est falsissima.* V. t. 6. *Adamus erat ejusdem speciei & similis naturæ cum filio, quem genuerat. Et tamen ille ex luto creabatur, hic ex semine generabatur.*

20. 14. Ut res in operari, *ita in esse. Sed operari animæ rationalis est incorporeum & immateriale, ut intelligere & velle, quæ mens etiam exerere potest sine corpore, ut cum ab eo est separata. E. Et esse illius est sine corpore, & consequen. efficietur sine corpore. At tradux est modus efficiendi per corpus. E. traduce propagari non potest. R. 1. Ut res est in operari,*

operari, ita & in esse, sed non semper in fieri. *Filius non dependet in esse aut operari à patre vel matre, non magis quàm hi à filio, tamen in fieri dependet. Ita licet esset & operaretur sine corpore anima, non statim fieret sine illo. 2. Anima & si sit inorganica in agendo, non tamen sine corpore ut objecto agit. Oportet enim intelligentem phantasmata speculari, ait* Aristot. 3. d. an. c. 7. §. 20. *Et dum est in corpore anima sine corporis objectis non potest initiari sacris intellectionis, ait* Scalig. ex. 265. *Non utitur anima corpore ut organo, vel medio, per quod intelligat, utitur tamen ut objecto, quod intueatur, ait* Goclen. in adverſ. ex. 41. *ad operandum & ante operationem ipsam utitur organis corporis: in ipsâ operatione non utitur, ait* idem ex. 45. *In receptione intelligibilium est organica anima, in judicio inorganica, ait* Scheibl. Top. c. 5. n. 60. *Hoc melancholiæ, maniæ, deliria, ebrietates, doceant. 3. Fieri animæ rationalis non est corporeum, non enim propriè fit, quod compositi est, non partis, sed fiente composito ipsa mirabiliter propagatur, & ad constitutionem compositi exurgit.* 15. Corrupto *corpore anima non corrumpitur, sed remanet. E. nec generato corpore generatur ea. Nam si generatio corporis est causa productionis animæ, E. corruptio corporis erit causa interitus animæ. Nam ut positâ causâ ponitur effectus, sic ablatâ tollitur. R. Nec generatur anima, sed traducitur & propagatur. Nec sequitur, si cum corpore propagatur anima, E. intereunte eo & ipsa interit. Nam talis est res, qualem Deus eam esse voluit. Is & propagari eam voluit, & corrupto corpore subsistere. Hoc Christiani est, subordinare sibi, non contraponere. Sic corpus Adami erat ex corruptibili pulvere formatum, & tamen in integritate debebat esse incorruptibile* V. t. 12. & d. 3. t. 26. *Positâ causâ sc. adæquatâ ponitur effectus: sed generatio corporis non est causa adæquata generationis*

onis animæ, nec enim primò corpus generari dicimus, secundò & per corpus animam: sed primò compositum generatur, per illud succedunt, emergunt & propagantur partes. Ita nec alterum membrum procedet: corruptio corporis erit causa corruptionis animæ: nam generatio corporis non fuit causa generationis animæ.

21. 16. Imago Dei primaria non potest ex materiâ ortum capere, vel propagatione naturali traduci. Sed anima rationalis est primaria imago Dei, ob simplicitatem, immaterialitatem, invisibilitatē, immortalitatem, & intelligendi ac volendi facultatem, secundaria imago etiam corpus est. Ergò. R. 1. Ambiguè dicitur imago Dei primaria. Interdum notat sanctitatem, innocentiam & perfectionem omnium virium in primo homine, Ephes: 4. v. 24. Colos. 3. v. 10. Et hæc primò est imago Dei, ac per lapsum totaliter perdita, nec amplius propagatur; sed in nobis per Christum restauratur: interdum notat animæ substantiam, quam per analogiam patres interdum imaginem divinam dixerunt. Conf. D. Meisn. d. 1. Antrop. q. 4. t. 5. Bellar. l. d. grat. pr. hom. c. 2. Hanc propagari non posse falsum esse hactenus ostensum. 2. Ambiguè dicitur, propagatione naturali traduci. Vel enim id est merè naturaliter & materialiter propagari, ac ex materiæ potestate educi, ut bruta & plantæ se propagant, sic non naturaliter propagatur anima: vel mirabiliter & cum peculiari Dei concursu propagari, ita traducitur, & sic per generationem naturalem ipsa imago Dei in integritate propagata fuisset, quomodo nunc cum animâ injustitia originalis & peccatum propagatur.

22. 17. Consensus omnium gentium docet, animas non traduce propagari, omnium enim mentibus insitum est, eas à Deo creari, ut & agricolæ, fabri, sutores, mulierculæ, pueri id sciant. R. Omnibus mentibus insitum est, animas rationales à Deo esse: an immediatè ab ipso sint, an mediatè per parentes, non est. 2. Hoc naturaliter omnibus est insitum, hominem generare hominem & totam speciem, ut bos bovem & speciem suam generando propagat. 3. Si mulierculæ, agricolæ, id sciunt, ut ait Bellarm: mirum est, unde sciant? & quî tàm facilè sciant sutores, de quo & hæsitant & tot sententiis inter se digladiantur docto-

res? 4. In rebus nominandis vulgi ſenſu uti debemus: ſed in rebus co- ſtituendis, an tales vel non tales ſint, non audienda eſt multitudo, inqu- Philoſophus 2. Top. c. 2. *Et* Johannes 23. *Papa rogatus, quid à v-ritate eſſet remotius, Vulgi, reſpondit, ſententiam, ut* Baleus *in ejus vi-ta &* Camer. C. 1. c. 40. *referunt. Idem hic habendum & cum Lyri-* l. 3. od. 1. *dicendum*, Odi profanum vulgus & arceo.

23. 18. Patres & Philoſophi *magno numero pro hac ſententi- ſtant, ut ex* d. 3. th. 5. *patet. Et* Ariſt. 2. d. gen. an. c. 3. *expreſsè i-quit, cum cæteras opiniones removisſet, relinqui, ſolam mentem fori- ſecùs advenire, ſolamq́ divinam eſſe.* λόγον νοῦν θύραθεν ἐπεισιέναι. 1. Patres *ſunt lumina, non numina: & ſunt illorum teſtimonia ſente-tiæ alicujus accedentia ornamenta, non principalia firmamenta. Sa-ctorum patrum authoritas*, ait Biel, *ad aſſentiendum ipſorum dictis n-minem compellit, niſi in divinis fundata fuerit ſcripturis, aut divin- innitatur revelationi. 2. Patres non omnes idem ſentiunt: quidam h-ſitant in utramq́ partem: alij animam opus Dei dicendo nobis non con-trariantur, ut in ſpecie oſtendit* D. Gerhard. d. imag. Dei. §. 12. *3. Philoſophi etiam variant, & cum in utramq́ partem inclinent, eoru- authoritas veritati præjudicium ferre non poteſt. In propagato in omn- mortales originali peccato rectisſimè conſequens propagatæ animæ coll-gitur. Sed iſtud cum ignorârint Philoſophi, ſeciùs paulò de hujus origin- eos ſtatuisſe nihil miri eſt. Nobis Chriſtiana principia ſcientibus conv-nientiùs hac in re ſentiri poteſt: nec illorum ſententia hic præſcribere de bet aut poteſt. 4. Ad Ariſtotelis locum ex* 2. d gen. an. *qui claſſicè h- ad duci ſolet, rectè reſpondent* Havenreuterus ap. Goclen. in Pſycho. p. 297. &. Cl. J. Mart. l. 3. miſc. d. 7. t. 48: *Per modu- objectionis adhuc id ab Ariſtot. dici, mentem forinſecùs advenir- non deciſionis, quæ poſtea ſubjungitur, cum omnis animæ virtutem corpus aliquod magis div-num, quàm elemen a ſint, participare dicit, & ineſſe in ſemine affirmat, quod faciat, ut fe-cunda ſint, quod calor vocetur: ac corpus genitura, in quo ſemen unà proveniat,* partim ſepara-bile *eſſe*, qualis ſit divina pars mens, *appellata*, partim inſeparabile: *deniq́ habere illud poten-tiâ animam, non actu. Et hunc loquendi modum in objectionibus adhuc reſtantibus per verbum relinquitur, uſitatum Ariſtoteli eſſe, ex* lib. 1. prior. c. 13. l. 2. d. cœl. c 6. t 40: l, 3. c. 7. t. 60. alij-que locis patet. Atque hæc de origine animæ etiam ἀνασκευαστικῶς diſceptasſe pr- re natâ ſufficiat, & ſic totius materiæ de origine formarum colophon cum DEO eſto